






3

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

A D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXVIII

HABENDARUM.

Insunt epistulae imperatorum romanorum ex collectione canonum Avellana
a GUILELMO MEYER Spirensi editae. (I.)

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.
WILH. FR. KAESTNER.



ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

FERDINANDUS FRENSDORFF

CUM SENATU.

Fides christiana in imperium romanum recepta atque aucta quomodo praecepta fidei adversus impetus haereticorum paulatim definiverit expoliveritque ac sacerdotum varios ordines gradusque constituerit, eadem contra potestatem imperatorum vixdum corroboratam certamen inierit, res cum per se grandes dignasque cognitu tum maximi momenti in posteritatem omnium saeculorum, clara veritatis luce maxime illustrant epistulae saeculis quarto quinto sexto post Christum natum compositae. inter corpora, quae epistulas tales complectuntur, antiquitate copia integritate id quod vocant Avellanum longe eminet. de hoc corpore epistularum, cui fortuna minus favit, nonnulla disputaturus sum in usum si non multorum, at quorundam hominum philologorum, iuris peritorum, theologorum.

Totum corpus epistularum Avellanum sub uno conspectu adhuc non est editum: sed accuratissime de illo egerunt singulasque epistulas enumeraverunt 1) Ballerinii (de antiquis Collect. canon. II, cap. 12 in append. ad opera Leonis I; cf. Migne Patrol. Lat. 56, p. 179—190), qui idem collectioni nomen Avellanae indiderunt; 2) Maassen in scriptis academicorum Vindob. (Sitzungsber. phil. hist. Kl. 85, 1877, p. 239—256; quos illic Maassen, eosdem ego epistulis adscribam numeros); cf. eiusdem Geschichte d. Quellen d. can. Rechts I, 1870, p. 787—792.

Continentur hoc corpore circ. 243 epistulae annis 367—553 datae cum ab imperatoribus magistratibusve Romanis, tum a papis, episcopis, sacerdotibus. quamquam pleraeque epistulae secundum tempus dispositae sunt, tamen cum alias annorum ordo neglegitur tum epistulae 82—93 annis 532—553 datae positae sunt ante epistulas 94—243 annis 492—523 datas. epistularum maior pars (105—243) Hormisdae papae temporibus a. 514—523 scriptae sunt.

Ex scrinio ecclesiae Romanae vel multas vel omnes epistulas descriptas atque paulo post annum 553, quo epistula 83 data est, in unum congregatas esse, Ballerinii dixerunt, quibus assensus est Maassen (Gesch. p. 792).

NUM GREGORIUS I COLLECTIONEM AVELLANAM COMPOSUERIT. Maassen a. 1877 (cf. laudatum vol. acad. Vindob.) probare conatus est hoc epistularum corpus collectum esse

auctore Gregorio I (590—604). quae sententia ne latius serpat, argumenta a Maassenio prolata refutanda sunt. Petrus Crassus iuris peritus Ravennas multisque litteris instructus a. 1080 Henrico IV obtulit libellum, quo Henrici 'aequitas et iustitia et adversariorum error lucide declarari posset'; (ediderunt *Sudendorf*, Registrum I, p. 20 et *Ficker* Forschungen IV, p. 106). Petri libello laudantur loci excerpti ex scriptis epistulisque cum conciliorum, patrum, pontificum multi, Gregorii I plurimi, tum ex Institutionibus et ex Codice Iustiniani multi, ex epistulis imperatorum Romanorum pauci. et unum quidem locum affert Petrus ex epistula Anastasii Augusti, cui continuo iungit duo ex epistula Hormisdae papae: excerptos ex duabus epistulis, quae eodem ordine se sequuntur in collectione Avellana (epp. 107 et 108 = Thiel, epistulae Rom. pontif. I, p. 742 et 745) atque paene eadem verba exhibent[1]).

Unde colligit Maassen Petrum usum esse ipsa collectione Avellana. quod quam incertum sit hac ratione tibi probaveris. de legibus Romanis praeter Institutiones et Codicem Iustiniani Petrus affert quinque constitutiones imperatorum (cf. Maassen Sitzungsber. p. 233—237): ex his prima eisdem verbis uno codice Novariensi traditur, altera Avellano; tertia nusquam eisdem verbis invenitur, quarta et quinta nullo omnino codice nobis servatae sunt. iam amplum illud, at ignotum corpus constitutionum, ex quo excerpsit Petrus constitutiones tertiam quartam quintam, quid est cur negemus continuisse etiam secundam (Anastasii), una cum illa qua Hormisda respondit epistula? re vera fateamur necesse est latere nos et originem et copiam fontis, unde haec hauserit Petrus Crassus.

Insistit maxime Maassenius ultimis verbis quae Petrus praefatus est 'si (Gregorius VII) in iudicio fortasse Romanas repudiare voluerit leges, eo quod has, ut in hoc patebit libello, vehementer habebit sibi adversas, ne hoc facere possit, mittam piae magnificentiae librum, si opus fuerit, in quo beatus Gregorius utrasque composuit leges et utraque in sancta usus est ecclesia'. Haec vertit Maassenius ita: Petrus erklärt sich bereit eine vom Pabst Gregor I selbst veranstaltete und in der Kirche benutzte Sammlung kirchlicher und weltlicher Gesetze ihm zu schicken. Porro cum talis collectio Gregorii I nomine inscripta nobis supersit nulla, praeter nomen autem omnes rationes in unam optime conveniant collectionem canonum Avellanam, hanc esse dicit illam quam Petrus Crassus a. 1080 Henrico IV missurus fuerit a Gregorio Magno compositam. At si quis ita argumentetur, Petro ad manum fuisse collectionem epistularum, unde inter quinque constitutiones imperatorum tres nobis non aliunde cognitas proferret, egregiamque collectionem nunc amissam ac deperditam fuisse illam a Gregorio Magno compositam, quid est cur eum minus recte argumentari dicamus quam Maassenium?

At opinio Maassenii Gregorio Magno auctore epistulas in Avellanum corpus con-

---

1) Aliquot verba Petri a codice Avellano valde recedunt, quae pleraque mutata esse possunt a sagicissimo homine iurisperito; quod hominum genus ex. gr. Cassiodori Varias usque ad saeculum XIV p. Chr. ingeniose interpolavit. Petrus ut in ep. 107 'synodale' ante 'concilium' addidisse potest ex ep. 110 'pro synodali congregatione', ita meliore codice quam nunc sunt codices collectionis Avellanae usus esse videtur, cum in ep. 108 exhibeat 'Gratias agimus (ag. *om. Avell.*) supernae' et 'pax est enim totius bonitatis initium, qua nihil unquam (quantum *Avell.*) ad catholicae fidei cultum validius, nihil aestimari oportet excelsius'.

gregatas esse, ut levibus argumentis nititur, ita refutatur gravibus. cum enim epistulae, quibus nomina paparum L annis ante Gregorium I defunctorum inscripta sunt, positae sint inter epistulas inscriptas nominibus paparum centum annis ante defunctorum, indignus exit liber, qui Gregorii aut auctoritate compositus esse dicatur aut nomine inscriptus. Deinde annis 492—553 datae epistulae adsunt 160: annis 553—590 data ne una quidem. at in scriniis pontificalibus plurimae erant; quas omnes ut Gregorius omitti iuberet, quomodo fieri potuit? At ponamus collectionis Avellanae non modo subscriptionem, id quod Maassenius statuit, sed integros quaterniones alios intercidisse, alios transpositos esse: iterum haeremus. nam codices Vaticanus et Avellanus, quos truncatos statuemus, ante aetatem Petri Crassi, cui integrum codicem tribuemus, scripti sunt. Postremo collectio Avellana exordium sumit a duobus libellis, quos ab schismatico homine Luciferiano compositos esse cum homines saeculi XI (cf. ad ep. 1,1) intellexerunt tum Gregorius I non potuit primo obtutu non cognoscere: quod neglexisse papam quis crediderit? Liber a Petro laudatus, 'in quo beatus Gregorius utrasque composuit leges et utraque in sancta usus est ecclesia', non alius mihi videtur esse quam quod vocant Registrum Gregorii Magni. non est iustum corpus constitutionum imperialium et pontificalium: Gregorii tamen in epistulis, quibus paucae imperatorum insertae sunt, saepe de rebus quae ad ius civile pertinent verba fiunt, saepe de ipsis imperatorum constitutionibus; cf. ex. gr. epistulam ad Mauricium Augustum datam III, 61 (no. 1266 Jaffé). licuit igitur Petro dicere beatum Gregorium in illo libro composuisse (h. e. comparasse, miscuisse, promiscue laudasse) utramque legem et, quod in collectionem Avellanam non convenit, in illo libro utraque lege usum esse ad administrandam ecclesiam. Gregorii et Registrum et alios libros saepius quam aliorum auctorum Petrus laudat, quin etiam epistulam ad Rechared regem missam excerpsit alias plane ignotam (cf. Jaffé Reg. no. 1806a et 1757). ergo omnia persuadent Gregorii Registrum Petrum Crassum Henrico imperatori oblaturum fuisse.

Itaque de Gregorio I collectionis Avellanae auctore relicta opinione Maassenii ad vetus nobis redeundum est arbitrium Balleriniorum, paulo post aetatem papae Vigilii (a. 553) hominem nescio quem illas epistulas aut omnes aut plerasque e scriniis ecclesiae Romanae descripsisse et edidisse.

DE CODICIBUS COLLECTIONIS AVELLANAE. Codices, in quibus descripta est haec collectio epistularum, Ballerinii fratres egregii investigarunt octo neque ullus post eos inventus est alius. omnes sunt Italici: sex Romae servati, duo in bibliotheca Veneta S. Marci. 1) Vaticanus 4961 (**A**); eius in ultima pagina secundum Ballerinios scripta sunt haec: Iste liber est monasterii S. Crucis Fontis Avellane Eugubine dioecesis. Hunc librum acquisivit domn. Damianus S. 2) Vaticanus 3787 (**V**). de aetate et virtute codicum **A** et **V** infra disputabo. 3) Vatic. 3786 (**L**) saec. XV vel XVI. 4) Vatic. 4903 (**M**) saec. XVI; fol. 1 'aliud exemplar prorsus simile in hac bibliotheca no. 3786. Autographum vero huius codicis habet no. 4961'. 5) Corsinianus 817 (**C**) saec. XVI, 'Ex cod. Vaticano 4961 diligentissime descriptus'. 6) Angelicae bibliothecae C. 618. (*Ang.*), in quo codice aliae epistulae transpositae, aliae omissae sunt. 7) S. Marci Venet. 171, a. 1469 scriptus, quo Maassenius usus est. 8) S. Marci Venet. 172 saec. XVI.

De aetate et virtutibus codicum egerunt Ballerinii (de ant. collect. can. II, 12; Migne 56, p. 980), Thiel, epist. Rom. Pontif. p. XXV, Maassen, Geschichte d. Quell. I, p. 787 et Wiener Sitzungsber. 85, 1877, p. 253. Et Ballerinii quidem codicem Avellanum omnium celeberrimum et antiquissimum esse rati ipsam collectionem epistularum ex eo Avellanam vocaverunt, Vaticanum autem codicem 3787 (V) saeculo XII scriptum esse dixerunt. Thiel codicem Avellanum appellavit principem, sed Vaticanum 3787 reliquosque 'eius apographa', ita ut uno codice Avellano in edendis epistulis uteretur, cum Ballerinii caute omnes codices excussissent (cf. Migne t. 54, p. 1212 sqq.). Avellanus ei 'vix saeculo X aut initio saeculi XI antiquior esse videbatur, Vaticanus 3787 ex saeculo XI aut XII'. Maassen, qui unum codicem S. Marci 171 inspexerit, Balleriniorum et Thielii sententiam non improbabat. Giov. Batt. de Rossi (Bull. di archeol. crist. 1871, p. 21) appellavit codicem Avellanum pretiosissimum et unicum. P. Ewaldium, qui auctoritate societatis constitutae in honorem Fr. Caroli Savigny novam editionem totius corporis epistularum parabat, acquievisse audio et ipsum in solo Vaticano codice collato.

Et mihi quidem a. 1874 uterque codex saeculo XI et codex Vaticanus fere eadem aetate scriptus esse videbatur qua Avellanus. nunc cum ad has res rediissem, etiam amicum Aug. Mau consului. qui respondit: utrumque codicem non ab uno quodam, sed a pluribus perscriptum esse; singulas partes utriusque codicis prae se ferre diversae aetatis speciem; ut codicis Vaticani folia 147—162 vetustiora videri quam ceteras partes codicis utriusque, ita Avellani folia 84—99 recentiora. Ergo uterque codex eodem fere spatio saeculi XI, id quod haud raro evenit, a variis monachis scriptus est et senioribus et iunioribus.

Porro cum aut codex Vaticanus ex Avellano aut Avellanus ex Vaticano possit descriptus esse aut uterque ex alio nunc deperdito, ego demonstrabo, 1) hos codices simillimos esse inter se, 2) Avellanum codicem descriptum esse ex Vaticano.

1) Codices Vaticanus et Avellanus sunt simillimi. consentire patet verba mirum in modum, paucis locis, quos postea excutiam, differentibus; consentiunt codices etiam in eo, quod 'tamen' in utroque codice litteris tm̃ scribitur et quod s, ubi ultima vocis littera est, saepe ita pingitur: sententiaʾ.

2) Veri simile est codicem Avellanum ex Vaticano descriptum esse his argumentis: quae in Vaticano litteris maiusculis, ea pleraque scripta sunt in Avellano litteris minusculis. loco litterae t ante i in Avell. codice saepissime littera c posita est; quos errores cum ipsis epistulis omnes subscribere noluerim, hic in una epistula (13) admissos addam: sentencias pronunciatio pacientia toleranciae integracionem iteracionem dampnacionis dampnacionem pacienter flagicio iteracio dissimulacio prosecucione dilacione negociis accusacionem. apparet codicem Vaticanum in quo haec bene se habent descriptum non esse ex codice Avellano.

3) Codicem Avellanum e Vaticano descriptum esse his rebus apparet: in codice Avellano multa verba loco syllabae ius in syllabam is stulte exeunt: omnibus his locis in codice Vaticano syllaba ius compendio ʾ scripta est: ep. 3 tit. theodosʾ archadʾ **V**: theodosis archadis **A**; *item* 3, 4 plenis *et* facilis. 5, 2 ipsis. 13, 10 istʾmodi **V**; istismodʾ A. 13, 11 ʾte **V**: iste **A**. 13, 12 mitʾ **V**: mitis **A**. 13, 14 diligentis **A**. Duobus locis Avellanus codex quod exhibet rectius se habet quam quod Vaticanus: 1, 2 Da-

masus se simula proficisci V: simulat A. 7, 1 publicam disciplinam fine cuiusquam calamitate munire cupiamus V: sine A. haec quamvis stultus scriba corrigere potuit.

At Avellanus codex depravatam lectionem profert his locis: 1, 2 redit V: rediit A. 1, 12 coemeteria V: cimiteria, *ut homines medii aevi*, A. 3, 4 atque ad V: atque A. 6, 2 peticiōe (*one*) V: peticio ē (*est*) A 9, 2 aliquo V: alico A 13, 1 poт̄it (*poterit*) V: potiт̄ (*potitur*) A. 13, 12 causae dictio V: causa edictio A. 6 *tit.* p̄u (*praefecto urbis*) V: pu (*pii*) A. 7 *subscr.* PRIDIE IDUS V: pd (*pridie*) A. 13, 8 deuio V: denuo A.

Omnes locos, quibus codices Vaticanus et Avellanus inter se differunt, exscripsi: iam cui non satis erit manifestum, codicem Avellanum (exceptis locis 1, 2 et 7, 1 qui nullius sunt momenti) nihil boni ferre quod non et ipsum Vaticanum, at quaedam mala, ita ut, qui in edendis epistulis (id quod Thielius fecit) solum codicem Avellanum sequatur, aliquot locos male constituat; porro codicem Avellanum non posse non descriptum esse ex Vaticano?

At vir quidam doctus, quem aetate prope ad illum, qui codicem Avellanum scripserat, accessisse et litterarum forma et color atramenti probat, instituerat codicem Avellanum emendare. hic correxit 1, 1 constantius. 1, 2 romano. firmaт̄ (= V, firmaueт̄ m. 1). decebat. 1, 3 constantius. basilica *addidit*. 1, 4 Dagalaifa (*non recte*). 1, 5 exilio. periuri. 1, 8 uero. 1, 9 agatur. 1, 11 omne. 1, 12 strage. 1, 14 faustinus. codice aliquo eum usum esse apparet, quod 1, 2 'firmaverunt' mutavit in 'firmarunt'. ex Vaticano codice collato correxisse potest tres locos (1, 2 firmarunt. 1, 8 uero. 1, 9 agatur): ceteros, qui et in ipso Vaticano vitiati sunt, aut ex ingenio correxit aut ex codice aliquo nunc deperdito, qui codicibus et Vaticano et Avellano integrior erat. tantum ingenii, ut ceteros locos emendarent, hominibus doctis saec. XI—XIV tribui posse vel unius Petri Crassi exemplum demonstrat; at cur quisquam non secutus exemplum codicis alicuius 'Dagalaifo' vitiose in 'Dagalaifa' mutaverit, intellegere non possum. itaque videtur homo doctus saeculo XI vel XII narrationem illam, qua codex Avellanus orditur, ex codice integriore emendasse, sed quod dolendum est inceptum opus mox reliquisse. nam cum epistulae alterius (libelli Precum) aliquot locos correxisset, ultra non processit. per epistulas 3—13 quidem manus quaedam antiqua tantummodo in ep. 5, 2 supra vocem 'regionis' litteras 'li' addidit.

De recentioribus codicibus ut sententia posset ferri, aliquot lectiones rogatu meo amicus Mau adnotavit. nullius eos pretii esse patet. aut descripti sunt ex codice Vaticano 3787 ut Vaticanus 3786 (L), aut ex Avellano ut Corsinianus (et S. Marci 171), aut ex utroque contaminati ut Vaticanus 4903 (M). ex codice Angelico (*Ang.*), qui ex Avellano codice descriptus et ab homine ingenioso correctus est, Sirmondus epistulas 1. et 2. descripsisse et edidisse videtur.

Ergo quicumque pretiosum hoc corpus epistularum, quod non recte, sed ad communem hominum doctorum usum accommodate Avellanum vocant, iterum editurus est, unum codicem Vaticanum sequi debet; cuius codicis conferendi munere moroso atque difficili ut accuratius fungatur, si et ipsum codicem Avellanum contulerit, bene sibi caverit.

DE MEO CONSILIO. Miro casu factum est, ut antiquior et pretiosior pars Avellani corporis epistularum maxime neglecta iaceat. nam quae in principio corporis collocatae sunt 39

epistulae ab imperatoribus Romanis (30), a Praefectis Urbi (6), a magistratibus aliis (2), a sacerdotibus (2) annis 367—419 datae, quas antecedit narratio de rebus gestis a. 355—368, a Baronio et a Sirmondo (ep. 1 et 2) male editae atque a reliquis editoribus ex operibus Baronii vel Sirmondi descriptae sunt. id indigne ferens ego anno 1874 et 1875 codicem Vaticanum et Avellanum ipse contuli, donec praefectus bibliothecae codices mihi non amplius permitteret; nunc epistulas 1—40 edituro mihi narrationem (ep. 1) cum codice Avellano et varios locos epp. 3—13 cum codicibus Vaticano, Avellano, aliis contulit amicus A. Mau.

Hoc libello editurus sum: (ep. 1) Gesta inter Liberium et Felicem episcopos, qua narratione homo quidam Luciferianus[1]) quae Ursinus et socii eius annis 355—368 Romae passi essent, luculenter descripsit. Sirmondus primus edidit a. 1631 (Opera Paris. I, 1696, p. 131; Venet. I. 1728, p. 227).

Preces ipsae (ep. 2) a Faustino et Marcellino presbyteris oblatae imperatoribus ac litterae, quibus ad eas imperatores responderunt, (item a Sirmondo ibidem primum editae) quoniam neque cum Gestis neque cum insequentibus epistulis 5—13 arto rerum nexu iunguntur, eas alia occasione oblata editurus nunc propter prolixitatem omitto.

Epistulas 3—13 annis 367—386 ab imperatoribus ad praefectos vel ad vicarios urbis Romae datas primus Baronius in Annalibus eccles. ex codice quodam collectionis Avellanae edidit, Haenel Corpori legum ab imperatoribus Rom. ante Iustinianum latarum (Lipsiae 1857) ex Baronio vel integras vel excerptas inseruit; ad epistulam 13 edendam alius quoque codex Baronio praesto fuit.

DE REBUS GESTIS. De rebus, quae ep. 1 (Gestis) et epistulis 5—13 narrantur, paucis disputandum videtur. prius conferendi sunt scriptores, qui easdem res narraverunt.

Ammiani Marcellini *lib.* 27, 3, 12 (Viventium praefectum urbi) hunc quoque discordantis populi seditiones terruere cruentae, quae tale negotium excitavere. Damasus et Ursinus supra humanum modum ad rapiendam episcopalem sedem ardentes scissis studiis asperrime conflictabant ad usque mortis vulnerumque discrimina adiumentis utriusque progressis, quae nec corrigere sufficiens Viventius nec mollire, coactus vi magna secessit in suburbanum. et in concertatione superaverat Damasus, parte quae ei favebat instante. constatque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum efferatamque diu plebem aegre postea delenitam. 27, 9, 9 (Praetextati praefecti urbis) auctoritate iustisque veritatis suffragiis tumultu lenito, quem Christianorum iurgia concitarunt, pulsoque Ursino, alta quies parta. *Ad Viventium praef. urbis ultima lex ab imperatoribus data est* 5. *Mai.* 367 (*Cod. Theod.* 9, 38, 3), *ad Praetextatum praef. urbis prima data est* 18. (*vel.* 28.) *Aug.* 367 (*Cod. Theod.* 8, 14, 1); *cf. Seeck in Hermae Berol.* 18, *p.* 299.

Eusebii—Hieronymi Chronicon (*ed. Schoene* II, *p.* 194): Romanae ecclesiae 34. ordinatur episcopus Liberius. quo in exilium ob fidem truso omnes clerici iuraverunt, ut nullum alium susciperent. verum cum Felix ab Arrianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi periuraverunt et post annum cum Felice eiecti sunt, quoad (quia *codd.* APF: *recte*; *cf. Gesta* § 3 *et Socratem*) Liberius taedio victus exilii et in heretica pravitate subscribens Romam quasi victor intraverat. *p.* 197: Romanae ecclesiae 35. ordinatur episcopus Damasus. et non post multum temporis intervallum Ursinus a quibusdam episcopus constitutus Sicininum cum suis invadit. quo Damasianae partis populo confluente crudelissimae interfectiones diversi sexus perpetratae.

---

1) Langen, Gesch. d. röm. Kirche 1881 p. 513, Faustinum et Marcellinum ipsos libello precum hanc narrationem addidisse contendit; non recte mea quidem sententia.

Rufini *Hist. eccles.* I, 22 Liberius . . in exilium truditur, inque eius locum Felix diaconus suus ab haereticis subrogatur. et non tam sectae diversitate, quam communionis et ordinationis conniventia maculatur. I, 27 Liberius urbis Romae episcopus Constantio vivente regressus est. sed hoc utrum quod acquieverit voluntati suae ad subscribendum an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus (*sc. Constantius*), indulserit, pro certo compertum non habeo. II, 10 Damasus post Liberium per successionem sacerdotium in urbe Roma susceperat. quem praelatum sibi non ferens Ursinus quidam eiusdem ecclesiae diaconus in tantum furoris erupit, ut persuaso quodam satis imperito et agresti episcopo collecta turbulentorum et seditiosorum hominum manu in basilica, quae Sicinini appellatur, episcopum se fieri extorqueret legibus et ordine et traditione perversis. quo ex facto tanta seditio, imo vero tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca. quae res factione Maximini praefecti saevi hominis ad invidiam boni et innocentis versa est sacerdotis, ita ut causa ad clericorum usque tormenta deduceretur.

A Sulpicio Severo (*Chron.* II, 39) *dicitur* 'Liberius paulo post (*quam in exilium pulsus est*) urbi redditus ob seditiones Romanas'. Socrates Hist. eccl. 2, 91 *Λιβέριος . . ἐξόριστος γίγνεται τῶν περὶ Οὐρσάκιον εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ καταστησάντων Φίληκα. ὅς διάκονος ὢν τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας καὶ τῇ Ἀρειανῇ δόξῃ προστεθεὶς, εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προεβλήθη· εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες ὅτι οὐ προσέθετο μὲν τῇ Ἀρειανῇ δόξῃ, βίᾳ δὲ καὶ ἀνάγκῃ κεχειροτόνητο.* § 94 *Ὁ Λιβέριος μικρὸν ὕστερον τῆς ἐξορίας ἀνακληθεὶς τὸν οἰκεῖον θρόνον ἀπέλαβε, τοῦ ἐν Ῥώμῃ λαοῦ στασιάσαντος καὶ τῆς ἐκκλησίας ἐκβαλόντος τὸν Φίληκα· ὅ τε βασιλεὺς καὶ παρὰ γνώμην τούτοις ἐγένετο σύμψηφος. ut haec Rufini narrationis similia sunt, ita Socrates* 4, 29 *de Ursino eadem quae Rufinus* II, 10 *tradit.* Sozomenos *Hist. eccl.* 6, 23 *de Ursino fere eadem quae Socrates et Rufinus tradit*; 4, 11 *et* 15 *multa de fide et de factis Liberii; de quibus cum sat gravis lis versetur, pauca excribo*: *Λιβέριος ἀφῃρέθη τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας· ἐπιτρέπεται δὲ ταύτην Φίληξ διάκονος τοῦ ἐνταῦθα κλήρου. ὃν ὁμόφρονα φασὶ διαμεῖναι κατὰ τὴν πίστιν τοῖς ἐν Νικαίᾳ συνεληλυθόσιν καὶ παντελῶς θρησκείας ἕνεκα ἀνέγκλητον. τουτὶ δὲ μόνον ἐγκαλεῖσθαι, ὅτι γε πρὸ χειροτονίας καὶ κοινωνίας ἑτεροδόξων ἀνδρῶν ἠνέσχετο. ὡς δὲ εἰσήλαυνεν εἰς Ῥώμην ὁ βασιλεὺς καὶ πολὺς ἦν ὁ ἐνθάδε δῆμος περὶ Λιβερίου ἐκβοῶν καὶ δεόμενος αὐτὸν ἀπολαβεῖν, βουλευσάμενος μετὰ τῶν συνόντων αὐτῷ ἐπισκόπων, ἀπεκρίνατο μετακαλεῖσθαι αὐτὸν καὶ τοῖς αἰτοῦσιν ἀποδώσειν αὐτὸν, εἰ πεισθείη τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ ἱερεῦσιν ὁμοφρονεῖν.* 4, 15, 4 *γράφουσιν προσδέξασθαι Λιβέριον οἱ ἐν Σιρμίῳ ἐπίσκοποι Φίληκι τῷ ἡγουμένῳ τότε τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας καὶ τῷ ἐνθάδε κλήρῳ; ἄμφω δὲ τὸν ἀποστολικὸν ἐπιτροπεύειν θρόνον.* § 5 *τὸν Λιβέριον ἠγάπα ὁ τῶν Ῥωμαίων δῆμος· ὡς καὶ μεγίστην ἀνακινηθῆναι στάσιν καὶ μέχρι φόνων χωρῆσαι.* Theodoretus Hist. eccl. 2, 17 *Λιβέριος* (*exul.*) *τὴν Θρᾴκην κατέλαβε. δύο δὲ διεληλυθότων ἐτῶν ὁ μὲν Κωνστάντιος εἰς τὴν Ῥώμην ἀφίκετο· αἱ δὲ τῶν ἐν τέλει καὶ ἀξιωμάτων* (*ἀξιωματικῶν Valesius*) *. . γυναῖκες . . ἱκέτευον. ὁ δὲ . . ἐπικαμφθεὶς προσέταξε ἀμφοτέρους* (*Φήληκα καὶ Λιβέριον*) *τὴν ἐκκλησίαν ἰθύνειν. τούτων ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ τῶν γραμμάτων ἀναγνωσθέντων . . κωμῳδήσαντες τοῦ βασιλέως τὰ γράμματα κοινὴν ἀφῆκαν φωνήν· εἷς θεὸς εἷς Χριστὸς εἷς ἐπίσκοπος . . ἐπανῆκε μὲν Λιβέριος ὁ θεσπέσιος, ὁ δὲ Φήληξ ὑποχωρήσας ἑτέραν ᾤκησε πόλιν. In* Libro Pontificali *de papis Liberio, Felice, Damaso vera falsis admixta traduntur*; *cf. editionem a Duchesnio paratam p.* CXX—CCXXV *et p.* 206—215.

Quanto uberius et luculentius quam ab laudatis scriptoribus res primo libello collectionis Avellanae expositae sunt!

Epistulas no. 5. 6. 7 a Valentiniano, Valente et Gratiano ad Praetextatum P. U. (a. 367 et 368) datas hoc modo puto coniungendas esse cum ep. 1. (Gestis): edictum, quo Valentinianus I 'reditum concessit exulibus, ita ut Ursinus cum Amantio et Lupo diaconibus XVII kal. Oct. 367 ad urbem redirent' (1 § 10), est epistula no. 5, qua 'nuper propter tumultum deportatione damnati liberantur'.

Iterum in exilium pellitur Ursinus XVI kal. Dec. 367 (1 §. 11); cf. Ammian. 27, 9, 9 (*supra* p. 8). Deinde epistula no. 6 praecipitur, ut 'dissensionis auctore (Ursino) sublato ad defensorum ecclesiae urbis Romae vel Damasi petitionem una ecclesia

adhuc retentata (basilica Sicinini) aperiatur Damaso'. Denique epistula no. 7 pridie idus Ianuar. (a. 368) Triveris data praecipitur, ne Ursini socii de medio tollantur, at extra Romam versentur. ergo antiquissimae huius collectionis epistulae 5 et 6 iam anno 367 datae sunt.

At vulgo tres epistulas no. 5. 6. 7 a. 368 datas esse contendunt, rerum ordine inverso ita: Ursino expulso (16 kal. Dec. 367) imperator edicit, ut basilica (Sicinini) Damaso aperiatur (ep. 6). Pergit Langen narrare (Geschichte d. roem. Kirche, 1881, p. 502): Desgleichen verwies er die Anhänger des Ursinus, Gaudentius, Ursus, Rufus, Auxano, Auxanius, Adiedo und Rufinus der Stadt (ep. 6), gewährte ihnen aber bald wieder freien Aufenthalt daselbst, wofern sie sich ruhig verhalten würden (ep. 5). Nomina sociorum Ursini Langen ex epist. 11 et 12 non recte huc transtulit. omnium error inde est ortus, quod Baronius has epistulas ad a. 368 (2. 3. 4) inverso ordine 6. 7. 5 edidit.

Epistulae no. 8 et 10 ad Olybrium P. U. (a. 368—370) et no. 9 ad Aginatium V. U. ab isdem Augustis (Valentiniano, Valente et Gratiano) datae sunt. ut Ammiano auctore (28, 4, 1 et 28, 1, 32) Olybrius tranquillo nimis et leni, Aginatius forti fuit animo et honorum cupido, ita relationi praefecti 'Christianos profunda in otio securitate gaudere' non sine aliqua ironia opponitur relatio vicarii 'misceri placata et extramuranis conventibus frequentem strepitum excitari', atque ep. 10 Olybrius ut posthac praeveniat seditiosos monetur. Rescribit imperator, ut populus dissentiens (insana collectio; hi quos iuvat turbulenta seiunctio) nullum intra vicesimum lapidem conventum habeant (ep. 8 et 9), postremo ep. 10 laetari se, quod et seditiosi compressi sint et annona urbis in pristinum statum redeat.

Epistula 11 ad Ampelium P. U. (a. 371 et 372) et epist. 12 ad Maximinum V. U. (cf. Ammian. 28, 8, 22 'audiendus ab Ampelio urbi praefecto et Maximino vicario') ab iisdem Augustis (Valentiniano, Valente et Gratiano) datae sunt. Dudum Ursinus uno loco intra Gallias constitutus erat. nunc et ipsi et octo erroris consortibus permittitur ut vagentur ubique, dummodo Roma aut suburbicariis abstineant regionibus (id est locis intra centesimum miliarium sitis; cf. Gothofredum ad Cod. Theod. 2, 16, 2). ut ad Praefectum urbis, ita simile edictum mittitur ad Vicarium, ut 'singularum urbium atque regionum, quibus temporarie praeest, (suburbicariarum, quibus interdictum est Ursino sociisque), primores atque incolas propria scriptione' certiores faciat.

Ante datam epistulam no. 13 data erat alia, qua, ut indicant Gratianus et Valentinianus (ep. 13 § 2), 'serenitas nostra persuasit, ut qui impios coetus profanata religione temptarent, ad centesimum urbis miliarium pellerentur et ut condemnati iudicio recte sentientium sacerdotum reditum ad ecclesias suas non haberent vel integrationem iudicii frustra a nobis precarentur'; cf. § 10 et 8 'qui initia religionis instaurant (rebaptizantes), quos expelli iusseramus'. quod edictum verbis 'serenitas nostra' potius a Gratiano et Valentiniano quam a prioribus imperatoribus editum esse probatur; litteras ad Simplicium Vic. datas (§ 3 'clementia nostra') huc referens Langen a. 375 missas esse putat.

Epistula no. 13 ad Aquilinum V. U. data imperatores responderunt epistulae concilii Romani (editae a Sirmondo a. 1631 in Appendice cod. Theodosiani ex codice nunc ignoto; cf. Mansi, Conc. III, p. 624) eiusque multa verba repetierunt: ergo utraque

epistula eiusdem fere temporis est. At nescitur annus et Aquilini vicarii et concilii Romani. alii quoniam episcopi 'innumeri fere ex diffusis Italiae partibus congregati' esse dicuntur, celebre concilium a. 380 Romae habitum putant indicari; alii, quamquam inscriptionibus multorum edictorum desit nomen unius alteriusve Augusti, tamen, quod utriusque epistulae inscriptio complectatur tantummodo nomina Gratiani et Valentiniani, epistulas putant datas esse post Valentem mortuum et ante imperium Theodosio commissum, id est inter 9. Aug. 378 et 16. Jan. 379. Invehuntur imperatores in vicarium: Ursino Coloniam Agrippin. et Isaace in remotum Hispaniae angulum deportatis, socordia iudicum fretos Parmensem episcopum ac Florentium Puteolanum ecclesias, de quibus deiecti essent, rursus inquietare et Romae Claudianum homines rebaptizare. posthac nisi edicto strenue obsecutus esset, piaculum neglectae sanctionis eum incursurum esse. postremo modus praecipitur iudiciorum de sacerdotibus a sacerdotibus habendorum.

Epistula no. 3 ad Salustium P. U. (a. 386) ab Valentiniano, Theodosio et Arcadio data praecipitur, ut de basilica Pauli apostoli amplificanda ac de praesenti via futuro operi ita applicanda, ut vetus via, quae ad ripam Tiberis dorsum basilicae praetereat, innovetur, et synopsis operis construendi et praetaxatio sumptuum ad imperatores dirigatur.

Epistula no. 4 ad Pinianum data, imperator edicit se gaudere, quod populus Romanus Siricium elegerit papam et Ursinum acclamationibus violarit. Pinianus a. 386 et 387 urbi praefuit. At cum non intellegatur, cur duobus annis post Siricium electum imperator congratulatus sit, atque cum imperator eo modo Pinianum quo saepe vicarios allocutus sit 'karissime ac iucundissime', recte statuisse videntur homines docti, iam a. 385 ad Pinianum, qui tum fortasse vicarius esset, hanc epistulam datam esse.

---

1. QUAE GESTA SUNT INTER LIBERIUM ET FELICEM EPISCOPOS.

Temporibus Constantii imperatoris, filii Constantini, durior orta est persecutio Christianorum ab impiis haereticis Arianis, annitente Constantio, qui et Athanasium episcopum resistentem haereticis persecutus est et, ut damnaretur ab omnibus episcopis, imperavit. quod etiam metu principis facere temptaverunt omnes ubique pontifices inauditum innocentemque damnantes. sed Liberius Romanus episcopus et Eusebius Vercellensis et Lucifer Caralitanus et Hilarius Pictavensis dare sententiam noluerunt. hi ergo mittuntur (a. 355) in exilium pro fide servanda. 2 Cum Liberio Damasus diaconus eius se simulat proficisci. unde fugiens de itinere Romam redit ambitione corruptus. Sed eo die, quo Liberius ad exilium proficiscebatur, clerus omnis id est presbyteri et archidiaconus Felix et ipse Damasus diaconus et cuncta ecclesiae officia omnes pariter praesente populo Romano sub iureiurando firmarunt, se vivente Liberio pontificem alterum nullatenus habituros. sed clerus contra fas, quod minime decebat, cum summo periurii scelere Felicem archidiaconum ordinatum in loco Liberii episcopum susceperunt. quod factum romano populo displicuit et se ab eius processione suspendit. 3 Post annos duos venit Romam Constantius imperator (a. 357); pro Liberio rogatur a populo. qui mox annuens ait: habetis Liberium, qui, qualis a vobis profectus est, melior revertetur. hoc autem de consensu eius, quo manus perfidiae dederat, indicabat. tertio anno redit Liberius, cui obviam cum gaudio populus Romanus exivit. Felix notatus a senatu vel populo de urbe propellitur. et post parum temporis impulsu clericorum, qui peiuraverant, inrumpit in urbem et stationem in Iuli basilica trans Tiberim dare praesumit. quem omnis multitudo fidelium et proceres de urbe iterum cum magno dedecore proiecerunt. 4 Post annos octo Valentiniano et Valente conss. (a. 365) X. kal. Dec. die defunctus est Felix. Liberius misericordiam fecit in clericos, qui peiuraverant, eosque

---

Titulo (IN HOC CODICE (CI V) CONTINENTUR EPISTOLE CCXLIII QUE . . EPISCOPOS VA) *in margine codicum* V *et* A *manus ut videtur prima haec adscripsit*: Quae vera sunt venerans, lector, quae in detractionem romani pontificis et in defensionem hereticorum inveneris, cave. *His in margine codicis Angelicani manu saec. XVI adduntur*: re. p. Illa verba fuerunt addita a Marcello 2°. cum esset adhuc presb. eccl. Rom. *Hanc narrationem Baronius novit, at ut falsam condemnat* (Annal. 367 no. 6, 14—19); *Sirmondus* (S) *ex aliquo codice collectionis Avellanae primus ėdidit* a. 1631. *De rebus gestis cf. supra p.* 8. 1 constantii A *m.* 2. *Ang.*M *m.* 2. S: constantini VCLA *m.* 1. M *m.* 1 2 heres. heret VA *fere semper* 2 arianis V: arrianis AS 2 annitente VACLM: annuente *Ang.*S 3 damnaretur A, dann. V 6 caralitanus C 7 Hii AC 7 mittuntur A *m.* 2. C *Ang.* S: mittantur VA *m.* 1 7 exilium. Pro fide servanda cum? 8 simulat A *Ang.*: simula V 8 redit V: rediit A *Ang.*S 9 quo S: quod VA 11 romano A *m.* 2 M *Ang.*S: umano VA *m.* 1 L 11 firmar̄ V: firmauerunt SA (*sed* ue *m.* 2 *expunxit*) 13 decebat A *m.* 2. LM *Ang.*S: dicebat VA *m.* 1 14 loco AV: locum S 14 episcopum S 15 constantius A *m.* 2 C *corr.* S: constantinus VA *m.* 1 15 imper. *om.* S 16 habebitis? 18 tercio VA 18 obvians S 21 iuli LS, M *m.* 2: uili AV *Ang.* M. *m.* 1 21 basilica *habet* A *m.* 2 *in marg.*, CM *Ang.*S: *om.* VA *m.* 1. L; *cf. infra bis* basilicam Iuli *memoratam* 23 consulibus X Kalendarum Decembrium die AVS 24 cleros VALM *Ang.*: clericos *Ang. in marg.* S

locis propriis suscepit. itemque octavo kal. Oct. Gratiano et Dagalaifo conss. (a. 366) Liberius humanis rebus eximitur. 5 Tunc presbyteri et diacones, Ursinus Amantius et Lupus, cum plebe sancta, quae Liberio fidem servaverat in exilio constituto, coeperunt in basilicam Iuli procedere et sibi Ursinum diaconum pontificem in loco Liberii ordinari deposcunt. periuri vero in Lucinis Damasum sibi episcopum in loco Felicis expostulant. Ursinum Paulus Tiburtinus episcopus benedicit. quod ubi Damasus, qui semper episcopatum ambierat, comperit, omnes quadrigarios et imperitam multitudinem pretio concitat et armatus fustibus ad basilicam Iuli perrumpit et magna fidelium caede per triduum debacchatus est. 6 Post dies septem cum omnibus periuris et arenariis, quos ingenti corrupit pretio, Lateranensem basilicam tenuit; et ibi ordinatus episcopus et redimens iudicem urbis Viventium et praefectum annonae Iulianum id egit, ut Ursinus vir venerabilis, qui prius fuerat pontifex ordinatus, cum Amantio et Lupo diaconibus in exilium mitteretur. Quod ubi factum est, coepit Damasus Romanam plebem, quae sibi nolebat procedere, fustibus et caede varia perurgere. presbyteros quoque numero septem detentos per officium nititur ab urbe propellere. sed plebs fidelis occurrens eosdem presbyteros eruit et ad basilicam Liberii sine mora perduxit. 7 Tunc Damasus cum perfidis invitat arenarios, quadrigarios et fossores omnemque clerum cum securibus, gladiis et fustibus, et obsedit basilicam hora diei secunda septimo kal. Nov. die Gratiano et Dagalaifo conss. (a. 366) et grave proelium concitavit. nam effractis foribus igneque subposito aditum, unde inrumperet, exquirebat; nonnulli quoque de familiaribus eius tectum basilicae destruentes tegulis fidelem populum perimebant. tunc universi Damasiani irruentes in basilicam centum sexaginta de plebe tam viros quam mulieres occiderunt; vulneraverunt etiam quam plurimos, ex quibus multi defuncti sunt: de parte vero Damasi nullus est mortuus. 8 Post tres autem dies sancta plebs in unum conveniens coepit adversus eum domini mandata recitare dicentis 'nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere'; psallebat etiam in laudibus et dicebat 'posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae. effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret'. 9 Saepe itaque eadem plebs adunata in basilica Liberii clamabat dicens 'Christiane imperator, nihil te latet. omnes episcopi Romam veniant. agatur causa. quintum iam bellum Damasus fecit. a sede Petri homicidas foras'. Ideo autem populus episcopos convenire multis precibus exorabat, ut memoratum tanta impietate maculatum sententia iusta percellerent, quem in tantum matronae diligebant, ut matronarum auriscalpius diceretur. 10 Voces ergo

---

1 in locis AS 1 Kalendis octob. AV, Kalendas Octobris S 1 Dagalaifo A *m.* 1, Dagalaifa *m.* 2 1 consulibus VA 3 exilio A *m.* 2 C: exio VA *m.* 1 4 basilicam *nos*: basilica AVS 4 iuli *hic* AV 5 loco AV: locum S 5 periuri A *m.* 2 C: periuria VA *m.* 1 8 p̄cio AV 8 armatos AV 8 perrupit A *praeter* it *omnes litteras in ras. m.* 2; *an* armatos .. perducit? 9 fid. cede VA: caede fid. S 10 arenariis M *m.* 2. *Ang. marg.* S: eranariis VAL*Ang.* M *m.* 1 11 precio V, p̄tio A 14 sibi VA se S 14 cede AV 15 perurguere VA 17 arenarios S: eranarios VA 19 Kalendarum nouembrium AVS 19 cons. *altera* s *erasa ante rasuram complurium litterarum* A 20 p̄lium VA 26 cepit V, cęp̄ A 26 dicentis AV: dicentes S 27 ũ A *m.* 1, ů (uero) A *m.* 2; autem *Vulg. Matth.* 10, 34 28 *Psalm.* 78, 2: morticina *et* tanquam *pro* velut *Vulg.* 30 sepe VA 31 nichil VA 32 agitur A *m.* 1, agatur A *m.* 2 33 ideo *nos*: dei AVS 34 percellerent VA: proc. S

plebis ad Valentinianum principem sunt delatae, qui pietate commotus reditum concessit exulibus. tunc Ursinus cum Amantio et Lupo diaconibus septimo decimo kal. Oct. Lupicino et Iovino conss. (a. 367) ad urbem rediit. cui plebs sancta gratanter occurrit. 11 Sed Damasus tantorum sibi conscius scelerum non mediocri timore concussus redemit omne palatium, ne facta sua principi panderentur. imperator nesciens quid Damasus perpetrasset edictum prorogat, ut Ursino in exilium relegato nulla ulterius populos contentio nefanda collideret. tunc Ursinus episcopus vir sanctus et sine crimine consulens plebi tradidit se manibus iniquorum et sexto decimo kal. Dec. (a. 367) iussione imperatoris ad exilium sponte properavit. 12 Sed populus timens deum nullisque persecutionibus fatigatus non imperatorem, non iudices nec ipsum auctorem scelerum et homicidam Damasum timuit, sed per coemeteria martyrum stationes sine clericis celebrabat. unde cum ad sanctam Agnem multi fidelium convenissent, armatus cum satellitibus suis Damasus irruit et plurimos vastationis suae strage deiecit. 13 Quod factum crudelissimum nimis episcopis Italiae displicebat. quos etiam cum ad natale suum sollemniter invitasset et nonnulli convenissent ex eis, precibus apud eos molitur et pretio, ut sententiam in sanctum Ursinum proferant. qui responderunt 'nos ad natale convenimus, non ut inauditum damnemus'. ita prava eius intentio caruit quo nitebatur effectu. 14 Exinde presbyteri diversis modis afflicti per exilia et peregrina loca dispersi sunt. ex quibus Marcellinus et Faustinus presbyteri de confessione verae fidei et ostentatione sacrae communionis et persecutione adversantium veritati preces Valentiniano Theodosio et Arcadio principibus optulerunt ita.

3. DE CONSTRUCTIONE BASILICAE SANCTI APOSTOLI PAULI. Valentinianus, Theodosius et Arcadius Augusti Salustio praefecto urbis. Desiderantibus nobis contemplatione venerationis antiquitus iam sacratae basilicam Pauli apostoli pro sanctimonio religionis ornare, pro quantitate conventus amplificare, pro studio devotionis attolere: 2 gratum fuit tuae sublimitatis officium, quod ad inspicienda universa, ut res exigebat, detulisti et omnem situm locorumque faciem sermonis congrui diligentia nostrae serenitatis auribus intimasti. instructiores enim nos iubere decuit, quae iubenda sunt. 3 Quare participato examine cum venerabili sacerdote intimatisque omnibus et magnificentissimo ordini et christiano populo, quae iubemus,

---

1 sunt del. princ. S 2 XVII. S 3 kalendarum octobrium AVS 3 ioueno V, e *ex* i *corr.*, ioueno A 5 omne A *m.* 2: omnem VA *m.* 1 6 in exilium *nos*; Ursinus exilio AV, Ursino exilio S 8 sexta VA 9 kalendis decembribus AV, kalendas Decembres S 10 nullisque S: multisque AVLM*Ang.*, *quod ferri potest, si* fatigatus *idem est quod* vexatus 11 iudices AVLM*Ang.*: iudicem S 11 coemeteria V, cimiteria A 14 strage A *m. rec.*, M*Ang.*: trage VA *m.* 1, L 15 natale *cf. Gregorii I Reg.* I, 39a moris fuit, ut ad natalem pontificis episcopi convenirent *et notam Ewaldii* 15 solemniter A 16 p̄cio AV 18 intencio A 20 Faustinus A *m.* 2 MCS: Faustus VA *m.* 1. L 20 uere VA 20 ex ostent. VA (ostentacione) 21 persecucione 22 ita *h. e. amplam epistulam no.* 2, *quam alias editurus sum.* EXPLICIT LIBELLUS QUORUNDAM SCHISMATICORUM. INCIPIT EPISTOLA CATHOLICORUM VA, (*sed* sismaticorum A).

3. *ed.* Baron. Annal. ad ann. 386 no. 30; *cf. supra p.* 11 24 Theodosis A 24 Archadius V: archadis A (ius *bis* L; M *ex corr.*) 24 urbis praef. *edd.* 25 contemplacione ueneracionis A 25 sacratam *edd. fort. recte* 26 et pro stud. *edd.* 26 deuocionis A 27 ab VA(LM) 28 rex exigeat AV

sublimitas tua rem diligentiore tractatu et plena rerum inspectione discutiat. ac si placuerit tam populo quam senatui iter vetus, quod basilicae praeterit dorsum quodque ripae Tiberini amnis adiacet, innovari, ita ut praesens via spatio futuri operis applicetur, eatenus per architectos futurae basilicae diriget formam, quatenus se planities extructioni amica praetulerit, ne ulla inaequalitas splendorem fabricae amplificentioris sublimet. si quidem in omni moenium facie decor summus est, quem servari oportere prima statim fronte magnarum aedificationum demonstrat intentio. 4 Iam illud ipsa res exigit, ut et synopsis operis construendi fideli tendatur examine sumptuumque omnium iuxta pretia rerum, quae *sunt* in sacratissima urbe, praetaxatio plenius ordinetur atque ad nostram clementiam debita maturitate referatur; ut communi omnium consilio nostrae quoque serenitatis nutus accedat, quo facilius id, quod devota mens statuit, pro tantae religionis meritis explicetur. ET ALIA MANU (PRINCIPIS): Divinitas te servet per multos annos, parens karissime atque amantissime.

4. GRATULATORIA DE ORDINATIONE PAPAE SIRICII. Have Piniane carissime nobis. Populum urbis aeternae gaudere concordia et optimum eligere sacerdotem, et populi Romani esse cernimus instituti et nostris gratulamur id evenire temporibus. 2 Proinde quoniam religiosum Siricium antistitem sanctitatis sic praeesse sacerdotio voluerunt, ut Ursinum improbum acclamationibus violarent, nostro cum gaudio memoratus episcopus esse permaneat, Piniane karissime ac iucundissime. 3 Si quidem magnum innocentiae et probitatis exemplum est in una acclamatione et ipsum eligi et ceteros improbari. DATA VI. KAL. MAR. MEDIOLANI.

5. UBI URSINUS ET QUI CUM EO SUNT AB EXILIO RELAXANTUR. Have Praetextate karissime nobis. Licet iusta videatur fuisse vindicta, quae illic turbulenter exercitam factionem coercitione sedat, ubi maxima debet esse concordia, scilicet in ecclesiae vel sede vel causa, quarum rerum utraque et modestiam poscit et cultum: 2 tamen nos omnes, qui nuper propter illum tumultum deportatione damnati sunt,

---

1 diligentiorem AV, diligentiori *edd.* 2 vetus quo AV 3 Tyberini AV, Tiberis *edd.* 3 spatio *edd.*: spatii V, spacii A 4 dirige *edd.* 5 planicies A 5 protulerit *edd.* 6 amplificentiori AV 6 sublimet = oblimet? 6 sic quidem *edd.* 6 im A. ī V, in LM 6 omnium *edd.* 6 faciae AV 7 imtencio A 8 sinopsis AV 9 precia A 9 sunt *nos*: *om.* AV 10 plenis A 10 ad *om.* A, *habet* V; atque ad L, adque M 11 facilis A 12 pro tantae AV: probatae *edd.* 12 ALIA MANV PRINCIPIS V *et* (*literis minusculis*) A, principis *om. edd.* 13 per: ad *edd.* 13 carissime et *edd.*

4. *ed. Baron. ad a.* 385, 6. *Coustant. Ep. Pont.* I *p.* 639. *Mansi Conc.* III, 654. *Haenel Corp. p.* 230. *cf. supra pag.* 11 15 *Titulum om. edd.* 15 SYRII V, syrii A 15 Habe AV 16 et *ante* pop. VA: *om. edd.* 17 cernimus AV: credimus *edd.* 17 nostri VA 17 id evenire VA: advenire *editiones.* 18 syricium VA 18 preesse sacerdocio A 19 violarent: noluerint *Coust. fort.* 20 esse VA: ipse *edd.* 20 pinianę VA 20 ac iuc.: iam iocundissime VA 22 Dat. VII *edd.* 22 Mediolani *om. edd.*

5. *Edd. Baron. a.* 368 *no.* 4, *Haenel Corp. p.* 223. *cf. supra p.* 9 et 10. *Titulus in* A *litteris minusculis scriptus est, in edd. omissus.* 23 HABE VA 24 karissime nobis. Licet *nos*: karissime. Nobis licet *edd.*, kme nobis liceat VA 24 turbulenter VA: tumultuanter *edd.* 25 cohercitione VA: *om. edd.* 25 sedavit? 25 maxime *edd.* 26 ecclesia, vel *edd.* 26 et *ante* mod. *om. edd.* 26 poscit *nos*: possit VA, possidet *edd.* 27 dampnati VA

et propriae lenitate naturae et ipsius religionis ac legis contemplatione miseremur, Praetextate karissime ac iucundissime. cunctos igitur, qui sunt eius et sortis et culpae, praecelsa sublimitas tua nostri auctoritate iudicii liberabit. 3 Hanc vero formam tenebit in posterum, ut si idem pristino statui restituti aliquid spiritu iterum gesserint inquieto, quo tranquillitas reformata turbetur, severissima in eos sententia proferatur. nullam enim possunt veniam promereri, qui non desinunt peccare post veniam.

6. UBI REDDITUR BASILICA SICININI. Valentinianus Valens et Gratianus Praetextato P. U. Dissensionis auctore sublato omnis causa discordiae sopienda est, ne aliqua manente materia nihil prosit e medio sustulisse fomitem iurgiorum, Praetextate parens karissime atque amantissime. 2 Quam ob rem praecelsa sublimitas tua defensorum ecclesiae urbis Romae sive Damasi sacrae legis antistitis petitione perspecta, qua una tantum † ex ecclesiae catholicae religionis obsequio a dissentientibus adhuc dicitur retentari: quoniam pro publica securitate metuendum est, ne aliquis hinc iterum tumultus oriatur, quandoquidem non parva sit separationis effigies, si ita aliquid putetur obclusum Damaso, eam iubebit aperiri, 3 ut singuli universique cognoscant, quo unitas studio sit colenda, qua omnibus pace vivendum, cum ecclesiis restitutis plenissimam postulet congregationem ubique promissa concordia.

7. DE EXPELLENDIS SOCIIS URSINI EXTRA ROMAM. Idem Augusti Praetextato P. U. Ea nobis est innata moderatio, ut publicam disciplinam sine cuiusquam calamitate munire cupiamus. 2 Itaque quoniam animadversorum occisionibus non favemus, Ursini sociis ac ministris, quos praecelsa sublimitas tua propter quietem urbis aeternae de medio putavit esse tollendos, Roma tantum, cuius tranquillitati studetur, excepta, ubicumque maluerint absque aliqua religionis iniuria, ut peregrinari potius quam exulari videantur, proprio liceat iure versari, Praetextate parens karissime atque amantissime. 3 Neque enim interest nostra, quem habitationis eligant locum, dummodo incentivis dissensionibus ablatis firma sit rursus in plebe concordia. DATA PRIDIE IDUS IANUAR. TRIN. AA. CONSS.

---

1 et ipsius *usque ad* miseremur *in marg. m.* 1. *add. in* A 1 ipsis A (ipsius ML) 1 regionis V *et m.* 1 A, li *man. antiqua add. in* A 1 miseramur *edd.* 2 kme̅ ac VA: car. et *edd.* 2 iocund VA 2 et *ante* sortis *om. edd.* 4 iidem *edd.* 4 spiritui VA 5 im eos A.

6. *Edd. Baron. ad a.* 368 no. 2, *Haenel Corp. p.* 223; *cf. supra p.* 9 et 10. Ubi *usque ad* P. U. *om. edd.* 9 pū V, pu A; p. v. M (*in marg.*: patri venerabili vel praefecto urbis); pū L, pii Cod. S. Marci 171 (cf. Massen Gesch. § 313, 1) 10 remanente *edd.* 11 p̄ k ā ā AV: parens carissime *edd.* 12 defensoris *edd.* 12 peticio̅e V, peticio ē A; petitione ML 13 tantum ecclesia ex c. *edd.*; *fort.* tantum ecclesia c. *vel.* t. ex ecclesiis c. 13 dissidentibus *edd.* 16 si ita: ut tale *edd.* 17 colenda sit *edd.* 18 congregatio AV, congregationem *edd.*

7. *ed. Baron. Ann.* 368, 3; *Haenel Corp. Leg. p.* 223, 2. *Conf. supra p.* 9 et 10. 19 De *usque ad* 20 PU *om. edd.* 19 expelendis A 19 ROMAN A 20 pū AV 20 inn. est *edd.* 20 sine A(LM): fine V 21 animadversorum occisionibus *vel* occasibus *nos* (cf. Dig. 48, 24, 3 corpora animadversorum ad sepulturam danda): an. occasionibus AV, animarum adversarum occasionibus *edd.*; *fort.* animadversionum occasionibus 22 ac: et *edd.* 23 romam AV 23 studemus *edd.* 24 voluerint *edd.* 24 aliqua *om. edd.* 25 exulare *edd.* 25 p̄ k ā ā AV: parens carissime *edd.* 27 dissensionis *edd.* 27 sublatis? 27 DATA PRIDIE IDUS IANVAR̄ V: Data p̄dia-

8. Idem Augusti Olybrio P. U. Tu quidem, sicut proximis litteris indicasti, enixissimo studio praestare voluisti, ut nulla in urbe Roma possit esse discordia Christianorumque populus profunda in otio securitate gaudere. 2 Sed quantum Aginatii clarissimi viri vicariae praefecturae scripta testata sunt, adhuc aliquantos placata miscere delectat extramuranisque conventibus frequens strepitus excitatur, Olybri parens karissime atque amantissime. 3 Quam ob rem egregia sublimitas tua istius auctoritate praeceptionis et patriae praestet et legi, ut populo dissentienti nulla intra vicesimum lapidem vel religio ad coeundum possit esse vel copia, ut, si cessare non vult, migret, ut iussum est, insana collectio. 4 Ita demum enim tumultibus cunctis procul longeque summotis certa pax plebi in aevum omne tribuetur.

9. Idem Augusti ad Aginatium vicarium. Omnem his dissensionibus causam, quae ut prudentia *tua* scripsit sacratissimam urbem Christianorum populo fluctuante confundunt, auferre cupientes, 2 iubemus his litteris, ut ab his, quos iuvat turbulenta seiunctio, nullus intra vicesimum lapidem conventus habeatur, Aginati karissime ac iucundissime. itaque spectata sinceritas tua admodum salutare praeceptum et quod nullum interpretationibus locum ex aliquo relinquat ambiguo, his animis exequatur, quos paci tranquillitatique reparandae et iudex debet et civis. 3 Habes et urbanae in hoc auxilium praefecturae. nam etiam Olybrium clarissimum atque illustrem virum pari serenitas nostra convenit arbitrio in factiosorum impios coetus, ut termino, qui evidenter est limitatus, excluderet, quo nec in vicino quidem exoreretur id motus, qui in urbe non esset. et facile praestabitis duo, quod singuli praestare possitis.

10. Idem Augusti ad Olybrium P. U. Cum nihil possit esse iucundius vel abundantia vel quiete ac summa felicitas sit, quotiens duo ista iunguntur: procul dubio sublimitas tua perspicit, quam gratae nobis litterae tuae fuerint, cum et eos esse compressos, qui sanctissimam legem tumultu et seditione miscuerant, et anno-

---

nuar̄ A; Dat. pridie Idus Iun. (Ian.) *edd.*; Data pridie idus Ianuar. L; Data pridie ianuar. M *et cod. S. Marci* 171 (*Maassen* § 313, 2) 28 TRIV̄. ĀĀ. CONSS̃ AV, trium (*sic*) AA. conss. *cod. s. Marci sec. Maassen*; TRIV. (*hoc est* Triveris) *nos*: *om. edd.*; AA. II. Coss. *edd.*; *hoc anno* 368 *Valentinianus A. et Valens A. iterum consules fuerunt.*

8. *Ed. Baron. ad a.* 369 *no.* 3. *Conf. supra p.* 10. 1 augg̅. olibrio pū. AV 2 posset *Bar.* 3 populus *Bar.*: populos AV 3 gauderet *Bar.* 4 aliquantos *nos*: aliquanť (tus) AV, aliquanto *Bar.* 5 misceri *Bar.* 5 extramuraneisque *Bar.* 6 olibri A p̄ k ā ā AV: parens carissime Augustorum *Bar.* 7 ipsius *Bar.* 8 religio: regio? 9 etiam tumultuantibus .. longe proculque *Bar.* 10 omne *nos*, ocn̄e AV, esse *Bar.* 10 tribuatur *Bar.*

9. *Ed. Baron. ad a.* 369 *no.* 4. *Conf. supra p.* 10. 11 augg̅. AV 11 omnem *Bar.*: Om̄e AV 11 causam: occasionem *Bar.* 12 quae *Bar.*: quem AV 12 tua *om.* AV, *add. Bar.* 14 Agynati AV 14 ac: et *Bar.* 15 iocund. AV 15 sinc.: severitas *Bar.* 16 alico A, aliquo VLM 16 relinquat *nos. et fort.* M: relinquatur AVL *Bar.* 17 paci *nos.*: pacis AV *Bar.* 17 tranquillitatisque M *Bar.* 17 recuperandae *Bar.* 17 civis *Bar.*: cives AV 17 habebis? 18 ad hoc *Bar.* 18 etiam AV: et *Bar.* 18 atque: et *Bar.* 19 convenit AV: concitavit *Bar.* 19 coetus V: cetus A 20 exoriretur *Bar.* 20 id AV, vel *Bar.*, is *an* quid? 21 possetis *Bar.*

10. *Ed. Baron. ad a.* 369 *no.* 5. *Conf. supra p.* 10. 22 augg̅. ad olibrium pū. AV 22 iocundius AV 23 quoties A 24 prospicit *Bar.* 24 gr̄ae (gratiae) AV 24 lit̄tae V, lit̄tē A 24 fueriNT *ex* fuerūt (runt) *corr. m.* 1 *in* V, *sed ita ut* (rint) *non facile cognoscatur*: fuer̄NT (runt) A 25 sedicione A

nam communis omnium patriae paulatim in statum pristinum redire coepisse testatae sint. sed haec propemodum non stupemus in noto; talem enim te futurum esse praesumpsimus, cum detulerimus tuis meritis praefecturam, qualem statim in administrationis exordiis invenimus. 3 Denique non monemus, ut illustris auctoritas tua, eandem efficaciam devotionemque custodiens, penitus statum plebis vel reformatione pristinae disciplinae vel necessariorum provisionibus commodorum et modestiae gloria et bonis securitatis accumulet, Olybri parens karissime atque amantissime. proprio quippe cura ingenio: satis est, ut inceptis posteriora respondeant. 4 Neque ita origines criminum metiaris, ut mansuetudinem nostram de correctionibus singulorum aestimes consulendam, cum omnia, ex quibus aliqua potest esse confusio, sponte praevenias ac sic sollicite verecundeque compescas, ut nobis non tam incitandi necessitas relinquatur, quam gratia comprobandi.

11. Idem Augusti ad Ampelium P. U. Iure mansuetudinis nostrae sensibus vel divinitus datum est vel tranquillitate naturae, ne cum delinquentum facinore legum severitate certemus, ac spe emendationis futurae mitiorem esse velimus correctionis iniuriam, quam provocat meritum noxiorum, Ampeli, parens karissime atque amantissime. 2 Dudum Ursini inquietudine provocati, faventes concordiae populi Christiani, quieti etiam urbis sacratissimae providentes uno interim loco intra Gallias dumtaxat perturbatorem tranquillitatis publicae statueramus iure cohiberi, scilicet ne applicatione morum late dissensionis incommodum spargeretur. 3 Verum naturae nostrae mansuetudine levigati ita memorato abscedendi copiam dedimus, ne ad urbem Romam vel certe suburbicarias regiones pedem introferre aut nequitiae suae contagionem conetur infundere. Id etiam de ceteris erroris eius consortibus, Gaudentio videlicet, Urso, Rufo, Auxanone, Auxanio, Adiecto, *Leontio* et Rufino sancimus, ut quos nequitiae similitudo complectitur, eosdem etiam conditio emendationis adstringat. 4 Quodsi quispiam ex memoratis sacrilega intentione statutum mansuetudinis nostrae transgrediendum putaverit, non iam ut Christianus, sed ut legum ac religionis ratione seclusus severitatem publicae animadversionis agnoscat. De hac autem eadem observantia ad V. C. Maximinum vicarium urbis Romae dedisse nos conducibilem iussionem etiam censurae tuae volumus innotescere, 5 quo

---

1 cepisse testate A 2 sint *nos*: sunt AV *Bar.* 2 hoc *Bar.* 2 voto *Bar.* 3 detulimus *Bar.* 4 exordio *Bar.* 4 deneque AV; ī V, non ALM, nos *Bar.*; te. Neque nunc? 5 efficatiam AV 5 reformatione *nos*; reformationem AV *Bar.* 7 p̄ k ā ā AV, pater carissime AA (augustorum) *Bar.* 7 prompto quippe *Bar.*, *idem post* ingenio *non interpunxit* 8 cura = rem gere. *fort.* curas ingenio (satis est), ut 8 incęptis V 8 origenes AV 9 correctionibus *ex* corrept. *corr. m.* 1 A 9 existimes *Bar.* 10 praeveniens *Bar.*

11. *Edd. Baron. ad a.* 371 *no.* 1, *Haenel Corp. p.* 224. *Conf. supra p.* 10. 13 Idem āā V, Idem augḡ. A 13 pū. AV 13 Iure mans.: Romae. Mans.? 14 delinquentium *edd.* 16 noxiorum AV: nostrum *edd.* 16 p̄ k ā ā AV: pater carissime Augustorum *edd.* 20 latę AV, latae LM 20 spargerentur, n *a m.* 1. *del.*, A 21 abscedendi *Bar.*: abstinendi AV 22 introferre aut AV: inferat neque *edd.* 23 eius: sui *edd.* 24 Rufo *Bar.*: rufino AV 24 Leontio *addidimus*: *om.* AV *edd.*; Ruffino *edd.* 25 sanctimus AV 25 conplectitur .. condicio A 25 eiusdem? 25 emendationis astringat AV: condemnationis adstr. *edd.* 26 intencione *et* 28 racione A 29 De hoc?, *ut* observantia *imperatoris* sit; de eadem obs. L 29 headem A (*non* V) 29 ad uc̄ maximum uicar̄ urb. AV, ad Maximinum vic. urbis *edd.*

circa memoratorum personas ab his, qui reipublicae nostrae praesident, proclivior statutis executio deferatur maiorque sit eorum moderatio, qui qualitatem morum suorum atque actuum ad multorum specula senserint pertinere. ET MANU IMPERATORIS: Vale Ampeli karissime atque amantissime.

12. Idem Augusti Maximino vicario urbis Romae. Est istud divinitus institutum mansuetudini nostrae, ut, etiamsi morum emendatio in hominum vita sufficiat, numquam tamen ab indulgendi studio et voluntate cessemus mitioremque esse cupiamus correctionis iniuriam quam provocant merita delinquentum. 2 E quo oritur, *ut* Ursino, quem propter quietem populi Christiani et debitam religioni ac legibus disciplinam uno interim loco morari intra Gallias iusseramus, sub ea condicione evagandi arbitrium praeberemus, ne vel ad urbem Romam vel ad regiones suburbicarias audeat commeare. 3 Qui si ingrata pertinacia statutum mansuetudinis nostrae egrediendum putaverit, eundem non iam ut Christianum, quippe quem a communione religionis mentis inquietudo disterminat, sed ut hominem factiosum perturbatoremque publicae tranquillitatis, legum et religionis inimicum iuris severitas persequatur, Maximine karissime ac iucundissime. 4 Sinceritas igitur tua iussionis nostrae serie debita veneratione praelata singularum urbium atque regionum, quibus temporarie praeest, primores atque incolas propria scriptione conveniat, quatenus sciant, ita memorato egrediendi terminos iure praescriptos una cum inquietudinis suae errorisve consortibus Gaudentio, Urso, Rufo, Auxanone, Auxanio, Adiecto, Leontio nec non Rufino licentiam praebitam, ut ab interdictis locis incessum intellegant abstinendum. 5 Sic enim mansuetudinis nostrae indulgentiam temperamus, ne occasione praestita vicinitate inquietorum ad aliquam forsitan vociferationem religiosi populi studia provocemus.

13. DE REBAPTIZATORIBUS. Gratianus et Valentinianus Augg. Aquilino

2 maiorque: maiorquae (quae *abbrev.*) V 2 qui A: quam *edd.* 3 atque actuum *om. edd.* 3 specula AV: saecula *edd.* 3 IN (et *nos*) MANV IMPERATORIS. VALEAMPELI k ā ā VA; *haec om. edd* 4 <parens> karissime?

12. *Edd. Baron. ad a.* 371 *no.* 3, *Haenel Corp. p.* 224. *Conf. supra p.* 10. 5 Auḡḡ. AV 6 mansuetudinis *edd.* 6 etsi *edd.* 6 emendationi hominum? 8 delinquentium *edd.* 8 ex quo *edd.* 9 ut *add. edd.* 10 iusseramus, discedendi copiam fecerimus sub *addunt edd.* 11 evagandi *nos*: ne vagandi AV *et edd.*; *egrediendi licentiam praebitam eis esse infra scriptum est.* 11 ne vel *nos*: neve AV *et edd.* 11 ad *ante* reg. *om. edd.* 12 valeat commanere *edd.* 12 pertinatia V 15 prosequatur AV 16 km̄e ac iocundissime AV 17 praelata AV: probata *edd.* 18 p̄mores A 19 iure praescriptos AV: circumscriptos *edd.* 19 ve *om. edd.* 20 Adiecto, Leontio *om. edd.* 21 Ruffino *edd.* 23 uociferacionem A.

13. *Hanc epistulam edidit Baronius ad. a.* 381, I '*ex codice bibliothecae Vaticanae, ubi descriptae habentur complures pontificum Romanorum epistolae a nobis saepe citato* (*Collectionem Avell. significat*); *sane scatebat mendis, sed collatione habita cum alio exemplari ut licuit restituimus*'. *Hoc edicto imperator morem gessit sacerdotibus, qui Romam convenerant; petitionem eorum primus edidit Sirmond a.* 1631 *in appendice Codicis Theodosiani* (*inde Mansi Concil.* III *p.* 624—627) *ex codice Lugdunensi; unde error ortus est Haenelii Corp. Leg. p.* 227 *hoc imperatoris edictum dicentis editum esse ex cod. Lugd. in App. Concil. Galliae epist.* V *a Sirmondo Paris.* 1631 *ed. p.* 90'. *Ergo ratio habenda est codicum* A *et* V *et codicis adhuc ignoti, quem Baronius adhibuit* (*pauca profecto ex eo emendavit*), *deinde verborum, quae in concilio illo Romano similia inveniuntur. Conf. supra p.* 10 *et* 11. B = Baron., M = Mansi.

25 DE REBAPTIZATORIBUS VA; cf. Mansi Conc. III p. 626 *infra ad* § 8 *lin.* 6.

vicario. Ordinariorum sententias iudicum aut temporum limes aut contumacis pronuntiatio aut habitum coram partibus sancit examen, et haec mediocris auctoritas labefactari atque convelli nec a potentioribus nec ab inpudentibus pertimescit: nostra praecepta per vestram neglegentiam destituta quae tandem poterit ferre patientia? quam quidem dum despicitis excitatis, ut longae tolerantiae desperatos sumat accentus et officium metu cogat agnosci. 2 Etiamne vividius est, quod Ursini inussit amentia, quam quod serenitas nostra mitibus persuasit edictis, ut omnes, qui impios coetus profanata religione temptarent, vel ad centesimum urbis miliarium pellerentur, ubi pertinax furor ab obsequentibus destitutus in eius tantum perniciem rueret, qui solus erraret, et ut condemnati iudicio recte sentientium sacerdotum reditum postea vel ad ecclesias quas contaminaverant non haberent vel integrationem iudicii frustra a nobis impudenti pervicacia precarentur? 3 Repetat laudanda et spectata sinceritas tua, quales ad virum clarissimum Simplicium quondam vicarium litteras clementia nostra transmiserit, et desinat iterationem sperare mandati, quia pigendus mansuetudinis nostrae pudor est instaurare praeceptum. 4 Ursinum quidem Gallia cohercet et, ne motus aliquos inquietos exerceat, cohibet Agrippina secessio; quem tamen ipsum per occursantes obtundentem saepius, quam † merentem ad hoc, ut frequentius abiceret, audivimus. 5 Isacem remotus Hispaniae angulus titulo damnationis inclusit, non bene capiti consulturum, si quid turbarum vesanus agitaverit. 6 Parmensis episcopus eo perniciosior, quod inclytae urbi magis proximus, et imperitorum multitudinem vicinus exagitat et ecclesiam, de qua iudicio sanctorum praesulum deiectus est, inquietat, inanem videlicet gloriam sententiae gravioris expectans: quem si quid decessor tuus devoti vigoris habuisset, porro ultra fines debuisset extrudere. 7 Et Florentius Puteolanus post damnationem, quam recto iudicio convictus accepit, ac mansuetudinem nostram inquietare conatus dignum

1 vicario ordinariorum. Sententias B; *corr. Sirmond.* 1 sententiae M 1 aut quae temp. MB, quae *om.* AV 1 contumacis AV: contumaciae M 2 patribus MB, partibus AV, M *marg.* 2 sancit A, *et* V, *sed ita ut* saxicit *esse videatur*; sanxit MB 2 et hec mediocris auctoritas AV: nec a mediocri auctoritate MB 3 pertimescunt MB: pertimescunt nostra . . destituta. Quae B 5 poτiτ V, poτiτ̄ A 4 ferre patientia AV: firmare sententia M, ferri sententia B 5 excitatis AV: non excitetis M, non excitatis B 5 *aut pendet* tolerantiae *a voce* desperatos *aut* longa tolerantia *scribendum* est. 5 in desperatos sumat effectum MB 6 metus MB 6 etiamne uiuidius AV: at nonne absurdius MB 7 inussit AV: iussit MB 8 cętus V, cetus A 8 *aut dele* vel *aut ex* § 12 *corrige* ultra *pro* vel ad 8 milliare MB 9 pernitiem VA 10 iuditio VA 11 redintegrationem MB 12 a *om.* VA 12 peruicatia VA 12 repetat MB: repperta V, reperta A 13 tua sinc. MB 14 litteras: *Gothofredus putat legem eandem esse a.* 374 *a Valentiniano, Valente et Gratiano ad Simplicium vicarium datam, ex qua Codex Theodos.* 9, 29, 1 *haec excerpsit: eos qui se cum alieni criminis reo occulendo sociarunt, par poena exspectet.* 14 sperare: expostulare B *marg.* 15 pingendus B; non pigendus? 17 merentem AV, monentem MB 18 frequentius abicerit AV(? = frequentius hoc facere contemneret), sequentes MB; *fort. conferendus Mansi* III *p.* 622, *ubi episcopi Gratianum rogant, ne Ursino aditum auditumve praebeat* 18 Hisacem AVB, Isaacem M 18 Hyspaniae AV 18 angulos AV 19 dampnationis AV 19 consulturum AV, M *marg.*: consultum BM 20 inclitae A 21 imperiorum (per *compendio scriptum*) AV 21 vicinus AV, magis BM 21 eccl. *etc.*: deiectus iudicio nostro ecclesiam tamen retinet impudenter *Conc. Rom. apud Mansi* III *p.* 626 23 porro AV: protinus BM 24 poteolanus AV *cf. Conc. Rom.* damnatus aeque Fl. P. posteaquam deiectus est 24 dampnationem AV 25 iuditio V 25 ac AV: *om.* BM; *an* postquam damnationem recto . . accepit ac? *cf. Conc. R.* cum aures tranquillitatis vestrae in-

tulit improba offensione responsum: post quintum decimum annum ecclesiam, de qua fuerat extrusus, rursus contaminare conatur, congregationes illicitas facere molitur egentemque consilii multitudinem perditi animi persuasione depravat: nostrorum videlicet iudicum socordia fretus, qui privatae gratiae imperialia praecepta condonant et religionem, quam nos iure veneramur, quam fortasse ipsi neglegunt, inquietari patienter accipiunt. 8 Claudianus etiam ab his, qui contra divina praecepta initia religionis instaurant, ab his, inquam, quos expelli iusseramus, accitus, quasi parum facinoris aggressus esset, si in Africa perstitisset, Romae sese dicitur intimasse falsusque praeceptor vel expertes adhuc devio profanare mysterio vel iam initiatos ex integro nititur flagitio maiore corrumpere, cum religionis sanctissimae disciplinam non cumulet iteratio, sed evertat. quem nos Claudianum dissimili poena ac meruit persequentes, repetere tantummodo patriam hactenus commota severitate praecepimus. sed residere etiamnunc dicitur imperitosque sollicitans et cassa nomina mercede conquirens perdit animas corporum redemptorum. 9 Hinc illi insectatores sanctissimae sedis non solum dei numine, quod satis erat, sed etiam iudiciorum examine exploratum mentis sanctissimae virum, ut etiam divo patri nostro Valentiniano est comprobatum, turpissimis calumniis episcopum Damasum inquietare non veriti, postquam desperaverunt posse percelli, populum, pro quo ille divinitati obses est, inquietant.

10 Sed hactenus steterit iners dissimulatio iudicantum; nec necesse est admonere, quod possit sanctio centempta procedere; hactenus, inquam, steterit apparitorum supina desidia: posthac nisi omnes, ut nominatim iussionis nostrae summa complectitur, vel quos turbas istius modi molientes sancti episcoporum concilii consensus ostenderit, ultra centesimum miliarium ab urbe depuleris atque earum civitatum finibus extorres esse praeceperis, quarum plebem vel ecclesias vel per se vel per simile sui vulgus exercent praeter aestimationis iniuriam, cuius apud bonos iactura non levis est, piaculum neglectae sanctionis incurres. 11 Volumus autem, ut,

---

quietasset atque huiuscemodi rescriptum meruisset, ut *etc*. 1 improba offensione AV: in progressione BM 1 *cf. Conc. R.* post sextum annum repsit ad civitatem, tenuit ecclesiam, multas in oppido Puteolano, de quo deiectus fuerat, seditiones insolentia concitavit. *inde* decimum *vix potest recte se habere*; demum *scripsit Blondellus* 2 extr. fuerat BM 2 congressiones BM 3 egentenque A 5 religione AV 5 qui fortasse AV 6 accipiant AV 6 *cf. Conc. Rom.* per Africam .. rebaptizatores .. praecepistis expelli; sed ab expulsis Claudianus est ordinatus .. qui contra scripturae praecepta divinae . . vacuos omnes mysteriorum . . dicat episcopos 6 initia AV: vitia BM 7 instaurat AV 8 aggsus A 8 Affrica AV 8 intimasse: *forte* 'insinuasse' *Mansi* 9 deuio VLBM; *codex* M (*Vat.* 4903) deuio *in corr.*: denuo A (*sic*) 10 disciplina AV 11 se deuertat AV; *cf. Conc. R.* spoliat magis eo, quod fuerant consecuti, quam tribuit, quod manifestum est bis non posse conferri 11 quem *cf. Conc. R.* quem quidem iussit tranquillitas vestra Roma pulsum patriam repetere propriam 12 prosequentes AV 12 commota AV: remota BM *non male, sed ad litteras codicis propius accedit* summota 13 *cf. Conc. R.* sed contemptis iudiciis et quidem saepe constrictus residet tamen 13/14 *sic* AV: imperitos sollicitans et cassam omnino mercedem requirens MB; *cf. Conc. R.* sollicitans pretio frequenter pauperiores et redemptos rebaptizare non veretur 16 nostro *om.* BM 19 steterit *nos*, steterint AV: stertit BM 19 est admon. necesse BM 20 quo possit BM 21 steterit AV: stertit BM 21 post haec BM 21 ut: vel <quos>? 22 istimodi V *et item* istius modi LM: istis modi A 22 sanctorum BM 22 concilii *nos*: concilia AVBM 22 consensu ostenderint BM 25 preterea estimationis AV 26 non levis iact. BM

quicumque iudicio Damasi, quod ille cum concilio quinque vel septem habuerit episcoporum, vel eorum, qui catholici sint, iudicio atque concilio condemnatus erit et iniuste voluerit ecclesiam retentare vel evocatus ad sacerdotale iudicium per contumaciam non adesse, seu ab illustribus viris praefectis praetorio Galliae atque Italiae auctoritate adhibita ad episcopale iudicium remittatur sive a proconsulibus vel vicariis ad urbem Romam sub prosecutione perveniat; 12 aut si in longinquioribus partibus alicuius ferocitas talis emerserit, omnis eius causae dictio ad metropolitani in eadem provincia episcopi deducatur examen, vel, si ipse metropolitanus est, Romam necessario vel ad eos, quos Romanus episcopus iudices dederit, sine dilatione contendat; ita tamen ut, quicunque deiecti sunt, ab eius tantum urbis finibus segregentur, in quibus fuerint sacerdotes. mitius enim graviter meritos cohercemus et sacrilegam pertinaciam lenius quam merentur ulciscimur. 13 Quod si vel metropolitani episcopi vel cuiuscumque alterius sacerdotis iniquitas suspectatur aut gratia, ad Romanum episcopum vel ad concilium quindecim finitimorum episcoporum arcessito liceat provocare, modo ne post examen habitum, quod definitum fuerit, integretur. 14 iam vero illud, quod in negotiis quoque rerum minorum et in levibus causae dictionibus animis nostris iustitia naturalis inseruit, multo diligentius in causis iustissimis volumus convalescere ne facile sit cuicumque perdito notabili pravitate morum aut infami calumnia notato personam criminatoris assumere aut testimonii dictionem in accusationem episcopi profiteri.

1 *cf. Conc. Rom.* quicumque vel eius (Damasi) vel nostro iudicio, qui catholici sumus fuerit condemnatus 1 concilio *nos cf.* § 10: consilio AVBM 1 habuerint *m.* 1 *corr.* A 2 sint AV: sunt BM 2 atque consilio AV, vel consilio BM; concilio *nos* 2 condempnatus AV 2 fuerit BM 2/3 et iniuste *nos*: si ite V, *item* si iuste L, *cod.* M (*Vat.* 4903) B, si iste A, si iniuste M; *cf. Conc. Rom.* atque iniuste voluerit ecclesiam retinere. (*condemnatus non evocatur ad iudicium*) 3 vel evocatus AV: ut qui evoc. BM; *cf. Conc. Rom.* vel vocatus a sacerdotali iudicio per contumaciam non adesse (voluerit) 3 iuditium V 3/4 contumatiam VA 4 adesse *nos*: esse AV, ivisset BM 4 seu ab: seu ad AV: ut ab B, aut ab M; *cf Conc. R.* seu ab illustribus viris praefectis praetorio Italiae vestrae sive a vicario accitus ad urbem Romam veniat 4 perfectis AV (per *abbrev.*) 4—6 *sic* AVB; *in* M (*et in Haenelii Corpore legum*) *verba* sive a proc. vel vicariis *post* Italiae *posita sunt et* ut *ante* ad urbem *insertum est* 6 aut si: *cf. Conc. R.* aut si in longinquioribus partibus huiusmodi emerserit quaestio, ad metropolitani per locorum iudicia deducatur examen. 7 causae dictio V; causa edictio ALM (*cod. Vat.* 4903), causae edictio B 7 metropolitae BM 8 prouintia V 8 deduceretur B 8 vel si: *cf. Conc. R.* vel si ipse metropolitanus est, Romam necessario vel ad eos quos Romanus episcopus iudices dederit contendere sine dilatione iubeatur 10 ita tamen *cf. Conc. R.* ita ut qui depositi fuerint ab eius tantum civitatis finibus segregentur, in qua gesserint sacerdotium 10 deiecti AV: detecti B 11 mitius VL *cod.* M (*Vat.* 4903) B: mitis A, minus M 12 merentur AVLM (*cod. Vat.*), meretur BM 12 quod si: *cf. Conc. R.* certe si vel metropolitani vel cuiuscumque alterius sacerdotis suspecta gratia vel iniquitas fuerit, vel ad Romanum episcopum vel ad concilium certe quindecim episcoporum finitimorum ei liceat provocare 13 alterius AV: *om.* BM 13 suspectatur *nos*: suspectat AV (*sed in* V *superior litterae* t *pars laesa aut erasa est*), suspecta L, suspecta est *cod.* M, est suspecta BM 14 arcessito AV, accersitum BM 15 modo ne *cf. Conc. R.* quicumque vero ita meruerit excludi, sileat et quiescat 17 iusticia VA 17 diligentis A 18 ne facile *cf. Conc. R.* fiet ut nulli perdito vel infami aut accusandi summi sacerdotis aut testificandi in eum facultas pateat. si quidem non modo in episcopum, sed ne in presbyterum quidem accusationem facile suscipiendam nisi idoneis testibus lectio sancta praescribat 18 cuicumque perdito nobili AV, cuiquam praedito notabili BM 19 testimoniis M.

I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

AUGUSTUS WIESINGER, Dr., *Seminarii Regii catechetici* exercitationes die Merc. h. II—III, *exegetici*, in quo *selectos Nov. Test. locos* explicandos proponet, die Lun. h. VI—VIII moderabitur. Privatim *Pauli epistolas* (exc. ad Rom. Tim. Tit.) quinis dd. h. IX—X interpretabitur, *Theologiam practicam* quaternis dd. h. III—IV tradet.

IULIUS WAGENMANN, Dr., privatim *Historiam ecclesiasticam aevi recentioris inde a reformatione saeculi XVI* quinis scholis enarrabit hora VIII; *Historiam ecclesiarum Hannoveranae et Brunsvicensis* quaternis scholis tradet, diebus Martis, Merc., Iovis, Ven., h. VII; idem *Seminarii Regii exercitationes historicas theologicas* moderari perget die Veneris hora VI.

ALBERTUS RITSCHL, Dr., privatim *Theologiam symbolicam comparatam* sexies h. XI; *Theologiam Novi Testamenti* sexies h. XII enarrabit.

HERMANN. FERDINAND. REUTER, Dr, privatim *Historiam ecclesiasticam primorum sex saeculorum* sexies h. VII; *Historiam ecclesiasticam aevi recentissimi* quinquies h. VIII enarrabit; *Exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* privatissime moderabitur die Jovis h. V.

